OEAW-IMAFO-SBW manuscripta.at/?ID=5067 page 1/2
**Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4206**
Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.



*Qui fuit predicator in leta curia Ciuitatis pragen &c.* Meminit hujus Operis *Bohemia docta Boh. Balbini* ex edit. Cl. *Raph. Ungar* P. II. p. 284. citata jam ad *Cod.* DCXXXVII. et *Fabricius* in *Bibl. med. et inf. Lat.* L. XII. ex *Lambecii* L. II. p. 776. edit. *Kollar.* col. 579.

## DCCXXX.

202 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 222. f. currente calamo per duas columnas ſcriptus continet I. *Conradi Stekne*, *Stykna*, vel de *Sſtiekna*, a longa in *Auſtria* et Academia *Vienn.* commoratione dicti *ab Auſtria*, teſte *Hagecio* canonici regularis et Plebani B. V. *Teynenſis* in Urbe vet. *Pragenſi*, viri non minus ab eloquentia, quam odio Monachorum famoſi, qui obiit 1369. ut habes in *Balbini Boh. docta* P. II. p. 181. *Sermones de Sanctis* per anni circulum. Sermo I. de S. *Andrea* Apoſtolo in illud: *Oſculetur me oſculo oris ſui* &c. incipit: *Ad gloriam primo et honorem ſancti andree ſumo illud verbum* &c. In Sanctos *Bohemiae* Indigetes Sermones ſunt ſequentes: *Fol.* 37. in translationem S. *Wenceslai. Fol.* 40. in *Cyrillum* et *Metudium. Fol.* 48. in *Adalbertum. Fol.* 68. in *Vitum. Fol.* 102. in *Ludmillam. Fol.* 108. in *Wenceslaum.* Notari meretur Sermo *fol.* 143. ſic inſcriptus: *Incipit ſermo ad clerum factus per venerabilem magiſtrum yſneri ſacre theologie profeſſorem de obitu regine Cracouie.* Errore ſane ridiculo Librarius ignorans ex *R. P.* quod in autographo aliquo *Reverendum* aut *Reverendiſſimum Patrem* indicabat, *Reginam Poloniae* effinxit; eſt enim Sermo hic in obitu *Johannis a Genſtein Archiep. Pragenſis* habitus, qui *Romae* 1400. deceſſit, ut paucis poſt initium lineis adparet, ubi dicitur, verba Pauli: *Mors illi ultra non dominabitur*, non inconvenienter poſſe adplicari *reuerendiſſimo in chriſto ac domino domino Johanni olym archiepiſcopo pragenſi et nunc vltimo patriarche allexandrino felicis memorie, cuius de preſenti exequias peragimus.* Et tamen imperitus homo mox ſubjicit: *Cogitanti mihi de illius Regine Polonie* (Rev. Patris) *morte et obitu temporali magis libet flere* &c. Et poſt medium: *Regina Po. felicis recordationis caduca et tranſitoria huius mundi minime curauit — Quod euidenter patet in archiepiſcopatus pragenſis reſignatione vbi gloriam diuitias et honores reliquit Et ſe ad locum deſertum et quaſi heremiticum in caſtrum belſinburg ſe tranſtulit, ut ſoli deo vacare poſſet Et in totalis vite ſue curſu quia ex nobilibus et diuitibus parentibus &c. Tandem patrie natalis dulcedinem omnino derelinquens ad partes ytalie et ad romam in qua et nunc finem ſuum clauſit extremum quaſi ad exilium ſe dedit Et ſic patet quomodo primo ſpoliauit ſe poſſeſſionibus deinde cognacione ſua Quibus etiam ipſum omnino mors naturalis priuauit Quia diuina uolente miſericordia bene mortuus eſt Quia*

in

2019-07-22

OEAW-IMAFO-SBW manuscripta.at/?ID=5067 page 2/2
Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4206
Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.



*in loco ſanᶜto Quia in roma Tempore congruo quia in anno centeſimo qui iubileus erat feliciter. quia in ſtatu optimo, quia in ſtatu prelacionis qui eſt ſtatus perfeᶜtionis* &c. Cetera omnia in locos communes abeunt. De *Johanne a Genſtein* plura *Balbinus Miſcell. Dec.* I. L. 4. et *Boh. doᶜt.* P. II. edit. *Ungar.* p. 139.

II. *fol.* 145. Continuantur varii rurſus *Sermones* in quasdam *Dominicas*, *Iſaiam* Prophetam, et aliqua Domini et Deiparae *Feſta*, quos non dubito eidem *Conrado Stecken* adſcribendos eſſe. Miſcentur iis ſub finem Legendae *Thomae Aquin. Cyrilli* et *Metudii*, *Gregorii M.*, *Benediᶜti*, *Ambroſii*, et *Mariae Aegyptiacae.*

III. *fol.* 194. *Liber de duplici Milicia* hoc initio: *Duplex milicia agitur in hoc mundo vna regis babilonis alia regis iberuſalem. Rex babilonis cum ſuis eſt dyabolus cum vicijs Rex iberuſalem et ſuus exercitus eſt chriſtus cum virtutibus* &c. Singillatim deinceps Vitia Virtutesque iis oppoſitae depinguntur; ſed in fine deficit Opuſculum, in cujus autore indagando operam luſi.

IV. *fol.* 221. Sermones duo, *in die Adalberti uel Zygismundi* et *de Corpore Chriſti.* Codicis hujus, ut plurium aliorum jam recenſitorum, poſſeſſor olim fuit Sacerdos *Bohemus Wenceslaus*; ita enim p. 2. *fol.* 204. ſubnotavit: *Roſſius Preſſorovius hos ſermones perlexit precipue librum de Duplici militia.*

## DCCXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 380. f. currente calamo per duas columnas exaratus ſequentia continet: I. *Matthiae Engelſchall Sermones de Feſtis* particularibus et de Communi *Sanᶜtorum* per totum annum. Praeit Index contentorum in quovis Sermone, cui ſuperſcriptum *Magiſter Mathyas Englſchall*, et ſubnotatum: *M° CCCC XXXI. anno. Chriſtianus Eyhnperger.* Sequitur Elenchus alphab. quarundam vocum difficiliorum germanice redditarum, v. g. Abſtraᶜtum *geſtiret*, *gremliczt.* Accio *Vurchunder chraft in der matery.* Aᶜtualiſſimus *all ſnelliſt* uel *all tuendiſt.* Apprehenſio *Das erſt aufhaften der vernunft* &c. Demum ſuccedunt *Sermones*, quorum *primus* eſt in *Librum Generationis I. C. Matth.* c. 1. Evangelium ipſum ea die legi ſolitum cuivis Sermoni praetextum eſt et quidem cum gloſſa interlineari prorſus ταυτολογῳ. Ultimus habetur in *Feſtum Dedicationis Eccleſiae*, cui ſubſcriptum: *Anno* &c. *27. pronunciatus.* Extitiſſe Noſtri etiam *Sermones in Evangelia dominicalia* triplex ad calcem docet clauſula, quarum ultimam, utpote uberrimam, adjicio: *Expliciunt partes tres ſcilicet hyemalis et eſtiualis et de ſanᶜtis ewangeliorum vnacum Regiſtro ſecundum breuiarium patauienſe et ratisbonenſe* &c. *pronunciatum per Reuerendum magiſtrum Mathyam Engelſchall de ſtraubing oriundum, liberalium arcium*



2019-07-22